Programma :

Carolus Sextus Imperator.

Anagramma :

Uxor pariet tres mascules.

Ad

Augustissimum Imperatorem.

Elegia prognostica.

SPes avida Imperii *tua* Carole *Nomina* lustrans :
Uxor tres pariet , dixerat , ista *mares.*
Ipse vides , quantùm vororum effecerit ardor !
Tertia pars animæ nobilioris *adest.*
Quanquam hic *augustus* Regnis par *omnibus Infans*
Vota , licet serâ compleat ista *die :*
Ut tamen Imperium *ternâ* sit sorte *beatum* ;
Hæredem Regnis quemlibet adde *tribus*
Ungarus ùt Regem , sic Regem jure *Bohemus* ,
Hispanus Regem mallet habere suum.
Quid ? quod & ipse *Tuo* veniens *è semine Cæsar*
Debeat *Imperii* scandere rite *thronum*
Te nunquam Cœlum meliorem reddidit orbi :
Ut *pater* est , talis *filius* esse solet.
Jam modò *facta via* est : *tres* una hæc *fœmina lites*
Guelphica Componet ; jam modò *facta via est.*
Nec refert , veniet si fortè subinde *Sybilla* ;
Nempe *secuturos nunciat* illa *mares.*

Belle

Bellæ & *Connubium* tribuit plùs ſæpe *Puellæ*,
Quàm *bella* & fortes mille per arma *viri*.
Hæc *toga* cùm *noſtri* ſit *temporis* : *inclyta bis ſtat*
Auſtria : nam *laudem* poſſidet illa *Sagi*.
Aſpice quàm blandus cunis arrideat Infans :
Maſculeus , *fortis* , *pulcher* , ùt ipſe *Pater*.
Spes eſt in manibus , vivo deſcripta Colore ;
Præſentémque videt terra Alemanna *Ducem*.
Qui quamvis *ſerò* veniat : Tua *Carole culpa*
Non eſt ; *Uxoris* ſed neque *Culpa* fuit :
Nam facilè hoc fuerat tenerum coaleſcere Corpus,
Quod Chlamidem , & Sceptrum & Regia ſigna ferat :
Jupiter exſpectans Proavorum fingere in *unam*
Auguſtas animas ; non citò præſtò fuit.
Voce fatigatus populi , ut maturet : at inquit,
Magna ſolent *magnis* nonne venire *moris* ?
Octo annis meditor *Leopoldi* encomia in unum
Colligere & *Joſeph* nobile quidquid habet.
A Capite incipiens luſtravi facta *Rudolphi* ;
Et genus *Auſtriacæ* per duo ſecla *domûs* :
Quidquid *pulchrum* , *ingens* , & fæce ſerenius omni,
Aut *par* , aut *majus* vidimus eſſe diis.
Omnia contulimus , *menti* infundenda *futuræ* ;
Cæſaris iſta *novi* quæ neo-membra regat.
Adde quod ipſe Parens calidis immixtus *Iberis*,
Dum vacat ad bellum , non fuit *æqua Venus*.
Interea *fatum* deſigno , ſcribo *triumphos*,
Et vitæ *longos* ordino rite *dies*.
His quoque miſcuimus populi *bona ſigna* ſalutis ;
Aureâque in niveis *tempora* tracta rotis.
Addidimus *pacem* , *Riſus* & *gaudia* & omne ,
Quidquid nunc homini non ſinit ordo loqui.
Hæc ubi facta fuit fatorum machina : dixi :
Hora eſt : in mundum jam Leopolde redi.
Nomen erit , *ſimili ſemper tibi* ſorte *ſecundum* ;
Optimus octavo ſic eris ergo *gradu*
Annon *octonos* bene ſic impendimus *annos* ?
Sat citò res facta eſt ; ſi *bene facta* fuit.
At tibi *magne parens* ! quo reddam carmine grates ?
Imperium *tantâ* qui modò *prole* beas ?

Cætera

Cætera *fortunet Cælum : te sospite nullus*
Imperium superat , nec tua *regna metus.*
Hinc *puer alme* , cui tellus & sidera plaudunt,
Quo sinè nostra cadunt , *gaudia* , *vita* , *salus* :
Cresce & *spem* populi *maturis viribus* imple:
Aurea quo nobis *Cæsare Secla* fluent.
En ostrisque *tuos* annis Deus augeat *annos* :
Sic canit ad *Cunas utraque terra* tuas.

Symbolum I.

Augustissimus Imperator Carolus VI. Cœlum obnubilatum intuens, pro hærede Deo humillimè supplicat.

Lemma: AD te LeVaVI oCVLos Meos. *Ps. 122.*
non ConfVnDas Me ab eXspeCtatIone. *Ps.118.*

NOn video *solem* : quàm *longè* hæc *nubila* durant!
Quando *micas* oculis *Phœbe serene* meis.
Imperio post me , *similem mihi* , debeo *solem:*
Si *solus* maneo , non venit ista *Salus.*

Symbolum II.

Aurora pulcherrimè , exoriens bono animo esse , & tantisper juxta ordinationem divinæ Providentiæ patientiam habere jubet.

Lemma : DoCtrIna VIrI per patIentIaM nosCItVr.
Proverb. 19.

SCilicet *expecta* : quò *nox est longior* , orbi
Gratior hôc suevit nata venire *dies.*
Aspice , quot radiis depicta *Aurora* refulget!
Ne dubita : *Phœbus* proximus *ortus* erit.

Symbolum III.

Europa depulsâ nocte , novo Sole Austriaco illustrata , tripudiat , & cœlo gratias agit.

Lemma : CharItas DeI DIffVsa est In CorDIbVs nostrIs. *ad Rom. 5.*

A*Ustriaco Soli* cum nupta est *Guelphica Phœbe*:
Junxerunt *geminam* sidera bina facem.
Hæc tamen *Eclypsin* passa est : mox ecce *refulsit*
Phœbulus , ex juncto lumine utroque *novus.*

Symbolum IV.

Sol ab aurora altiùs ſurgens, ſive futura educatio Auguſtiſſimæ Prolis, ad Auguſtiſſimi Parentis exemplum.

Lemma : seCVtVs eſt Me In toto CorDe sVo. * *3.Reg.14.*

AD *Patris exemplum*, Fili ! ſi ſcanderis *axem:*
Hâc rege, Præcedens quâ *Pater arte* rotas.
Dupliciter felix iter hoc : ùt in orbe *triumphi*,
Sic melior Cœlo parta *Corona* venit.

Symbolum V.

Sol lucens in pleno meridie, latentibus obſcurè ſtellis, infrà depinguntur à Cæleſti Genio futuræ de hoſtibus victoriæ.

* *Lemma :* IpsI InfIrMatI sVnt & CeCIDerVnt. *Pſ.26.*

QUid facis in Cœlo *levior Respublica* ? Lumen
Veſtrum *uno radio Phæbulus* iſte necat.
Salve *Stellarum Dominus* ! procul ite *minora*
Sidera ! nec *ſolem* nam feret ille *parem.*

Symbolum VI.

Luna ultra dimidium, ex oppoſitione Solis & terræ Eclypſata; infrà hoſtes Chriſtianitatis & Imperii fuſi fugatíque conſpiciuntur.

Lemma : FeCIt potentIaM In braChIo sVo ; DIsperslt sVperbos. * *Lucæ 1.*

S*Anguine Luna* rubet, currúque excuſſa *vacillat:*
Portentum eſt : ſimili *funere Turca* cadet.
Macti animis *Proceres* ! veſtra eſt victoria : *vires*
Jungite : ſit *Solem* deſeruiſſe *pudor.*

Symbolum VII.

Sol, non apparentibus Planetis, ſolus noxios terræ vapores diſſipat.

Lemma : DereLICtVs sVM ego soLVs. * *3.Reg.19.*

C*Ommunis* nos *cauſa* vocat, *communis* ùt *hoſtis :*
Aſpice ! *quantus* habet nubilus *aſtra Vapor* !
Contrà imus : nam quid ſtatis ? ſic figite greſſum.
Audior : en fugiunt rurſus in antra *ſtryges.*

Symbolum VIII. Authoris.

Solſequium floſculus, Italis Gyraſole, ductili vultu latentem etiam in nube ſolem ſequitur, & inclinato capite ſalutat.

Lemma: NeC tæDet aD tVos proCVbVIsſe peDes.* *Ovid.in medea*

So

SOl *meus* in *Cunis* : huc me *Leopoldule* verto:
Nec pudet ante tuos procubuisse pedes.
Hic me si pateris plantis dare *Basia* : non plus
Musa humilis sperat , nec puer ipse dabis.

EPILOGUS.

Programma :

Carolus VI. Imperator semper Augustus.

Anagramma I. ænigmaticum.

Certus sum : Tu Augusta Rom. I. paries V. proles.

Ad

Augustissimam Romanorum Imperatricem.

TRes *paries Augusta mares* , geminásque *puellas*.
Hoc *conjectura* , & *Nominis* ordo docet.
Connubium hoc *Cœlum* est , *quinque* hæ sunt *sidera proles*:
Quêis tribuunt lucem *Lunáque* , *Solque suam*.

Anagramma II. purum.

Vis plus ? ô Tu es portatura Regem suis Carum.

G*Ignere* non multum est ; sed *multum* est *gignere Regem*;
Plus est , si *carus* Rex erit iste *suis*.
Gratulor ô *Mater* , *Regina* , & *Cæsaris uxor!*
Vis plus ? at non vis ; sed neque velle potes.

Ad

Augustissimum Rom. Imp. Carolum VI.

de

Nomine Augustissimæ Imperatricis Elisabethæ Christinæ.

Programma :

Elisabetha Christina.

Anagramma :

In tali habes Charites.

TRes *Charites* , veteres , *tribus* infinxêre *Deabus:*
In tali Charites tres simul unus *habes.*
Carole ter felix ! *talis* cui contigit *uxor*:
Charior hæc *Regnis* sit Tibi sola *tribus*.

De

De Nomine
Neo-nati Augustissimi Archi-Ducis,
& Principis Asturiæ.

Programma:

Leopoldus.

Anagramma duplex:
Sole duplo, Pello duos.

De
Recuperando Imperio Orientali.

SOl *Oriens* nobis pudor! *occidit*! Ilicet *astrum*
Infame has supplet, Turcica Luna vices.
Occiduus tantùm Imperio *Sol* luceat? *Ortum*
Sole duplo hic Princeps, qui reparabit, erit.
Hoc anagramma vetus ne quisquam irrideat: *isto*
Principe, nam Phœbus *verificatur*, ait.
Pello duos, Cœlum (Leopoldos) dixerat antè:
Hic *Leopoldus* erit, quem puto, *sole duplo*.
Audiit hoc *Aquila*, útque biceps caput intulit astris:
Hâc, ait, *antiquâ fronte* placebo *diis*.
Dixit, & in gremium tibi *Constantine* volavit.
Hîc sedet, hîc *constans*, dum manet orbis, erit.

Symbolum finale:

In Zoilum.

Vespertilio ad Solem se convertens, & imposito naribus perspicili maculas solis examinans, contra Diluculum murmurat.

Lemma: FaLsVM est, qVoD ConfLaVIt.* *Jerem.* 10.

HEus! sua *Vesperti*-portate huc *vitra*-*lioni*:
Jam *spicit*; & quassans *murmurat* ore caput.
Fortè videt *maculas*? *Sola* hæc in *Sole* volucris,
Quod nequeunt *Aquilæ* cernere, *Cæca videt*!